

HENRICI JOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAJESTATIS CONSILIARII, INSTITUTIONUM MED. ET MATERIÆ MEDICÆ VINDOBONENSIS PROFESSORIS PUB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CURIOS. ET SOCIETAT. BOTANIC. FLORENTIN. SODALIS.

STIRPIUM  
AUSTRIARUM

FASCICULUS II.  
CUM FIGURIS AENEIS

---



*August. Cress. del. Sculpsit V.*

---

VIENNÆ AUSTRIÆ,  
Apud PAULUM KRAUSS Bibliopolam

MDCCLXIII.



contra experimenta HALLERI, & mea habent, inde ex numero mulierum numerum foetuum non semper tuto inferri posse, sexuales discant; nequit igitur esse sorbus *Torminalis* LINNAEANORUM sorbus *Torminalis* LINNAEI.

3.) SORBUS *Aria*. Icon. TAB. II. F. 2.

Sorbus foliis ovalibus ferratis, facie splendentibus, dorso tomentosis, fructu biloculari.

*Aria* CLUSII *Hist.* I. p. 9.

*Aria* Theophrasti effigie alni. LOB. II. *Icon* 167. non bona.

*Aria* & metallum Italarum. TABERN. *Icon* haud melior & contra naturam.

Sorbus alpina. I. B. I. p. 65. *Icon.* quoad folia commoda, flores omnino mali, quod tetrapetali. descriptio bona.

Cratægus foliis ovatis inæqualiter ferratis subtus tomentosis. L. ROY. HALL. SAUV.

Mespilus alni lanato folio major. WEINM. *Icon.* N. 727. fructus omnino male.

Crescit in valle Döbling, etiam in saxosis Medling, Baden, sed in calidis his locis solum frutescit, nec unquam fructum dat, vidi etiam in Breyninis sylvis frequentem, in quibus nostra planta delineata fuit.

Altior decem, quindecim, & ultra pedum arbor, recta adolescit, cortice rubente splendente. Folia huic quam omnibus congeneribus majora sunt, varia, ovalia multum, & inæqualiter ferrata, superne læte viridia, splendentia, quandoque maculis sanguineis etiam tomento in locis calidis aspersa, inferne pulchre



chre tomentosa, nervis eminentibus albissima, sæpe utrimque aliquibus locis erosa, sphacelata, aut lacerata, ut recte HALLERUS. Petioli pedunculique candidissimi lana abjicienda, quæ in dorso foliorum pertinax. Flores umbellati calyces lanatos habent, sub quibus crescat fructus, etiam lana obductus abjicienda. Calycis coronantis apices erecti conniventes in juniore & viridi fructu, in receptaculum profundum flectuntur in adultiore & subflavescente, in adulto vero & corallino in integrum contracti sunt. Fructus ipse umbilicum diutius lanatus, pomi formam habens, semina pyri, in duobus loculis quatuor, multiplici experimento, plus quam in quinquaginta pomis fere maturis, diversis temporibus destructis, etsi unum duo, tria hinc inde abortiant, gestat.

Observatio. Et hæc planta inter Cratægos referri a LINNAEO nunquam debuisset, cum tetrasperma, non 2. sperma sit. Quoniam igitur haud evidens Sorbi Cratægi Mespili L. Character, facile patet, quas confusiones sequentes LINNAEI definitiones examinantibus adferant.

MESPILUS inermis foliis ovalibus serratis, cauliculis hirsutis. L.

Mespilus inermis foliis ovalibus serratis, acutis. L.

Cratægus foliis ovatis inæqualiter serratis, subtus tomentosus. L.

Dum duas priores adeo bene *Ariæ*, quam posteriorem *Amelanchier* competere posse intelligatur.



tur, sed nec fructus bacca vocari potest. consule *Fund. Botan.* LINNAEI.

4.) *SORBUS Domestica* \* Tab. II. F. 3.

*Sorbus* foliis pinnatis, fructu pyriformi quinqueloculari.

*Sorbus* fructu pyriformi quinqueloculari, cono lanato.

*Sorbus* foliis pinnatis inferne tomentosiss, fructu majori. HALL. *Helv. spec.* 2.

*Sorbus* legitima. CLUSII *Hist.* I. p. 9.

In sylva Dornbach & aliis reperi, & abundanter circa Passstæden, & inter hunc pagum & Baden, media via in vineis, etiam alibi.

Calycis coronantis exigua ora lanata, receptaculum conum prominentis lanæ facit. Fructus pyriformis initio viridis dein rubescens, maculis aspersus; quinquelocularis, omnino pentaspermus, etsi aliqua semina abortiant, ut monuit exactus HALLERUS, & delineatum dedi TAB. II. F. 3. Loculi in fructu perpetuo quini, raro semine completi omnes, frequenter videas tres fæcundos, rarius duos, rarissime quatuor, ut jam ex destructis pomis triginta confirmor; quare nec Sorbi Character unquam LINNAEO patuit, nec ex eo unquam *Sorbus Domestica* determinari potuit; pomum quinqueloculare non fallit, sed bacca disperma bis decipit.

Observatio. Foliorum dorsale tomentum ex levi causa perit, & abjicitur, & tum folia hæc-

ce,